



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. ij. De virtutibus fortitudini adiunctis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

ob ipsum affectum; aliqua tamen ex parte sunt similes fortibus.

Fortitudo ex spe. Quarta fortitudinis veræ umbra est eorum, qui sunt fortes ex eo quod spe freti sint, idest qui propterea spem in periculis habent, quia multos sæpe superarunt. Vnde fit ut felicem sibi quisque tunc exitum spondeat, quia sæpe aliàs fuerunt victores.

Illa fortitudo est solum adumbrata. Primum quia se superiores putant, & nihil suscepturos mali; unde nihilo tutiores videntur esse quam ebrii, qui sperant sibi omnia euentura prosperè. Secundò, cum non eueniunt ipsis talia, qualia sperarunt, fugam arripiunt. Fortis autem viri est res eas, quæ sunt & videntur formidolosæ, ferre; quia honestum est ferre, & turpe est non ferre. Tertiò fortis magis videtur qui subitis in periculis est interritus, quam in præcis; est enim ab habitu magis, & minus ex apparatu.

SECTIO II.

De virtutibus fortitudini adiunctis.

Fortitudo vna est specie. Certum est primò, fortitudinem ita esse vnam specie infima, ut nullas propriè loquendo sub se habeat virtutes totales specie distinctas, tanquam partes subiectiuas, integrales, aut potentiales. Partes subiectiuas nullas habet proprias, quia omne illud discrimen, quod excogitari potest inter varia obiecta fortitudinis, est materiale. Formaliter autem, & in ratione honesti perinde est moderatè aggredi, & moderatè sustinere. Perinde etiam est non refugere hoc aut illud periculum: nec refert ad formalem rationem fortitudinis, quomodocunque patiatur homo. Nam hæc discrimen non efficiunt nisi materiale. Partes etiam integrales proprias & potentiales non habet, quæ nimirum ab ipsa specie differant; quia idem semper habent motuum formale; & illæ omnes quæ communiter numerantur, materialiter solum differunt.

Eius partes potentiales. Certum est secundò, partes fortitudinis potentiales illas vocari à S. Thoma, quæ virtutem imitantur fortitudinis in materia minus difficili, idest quæ idipsum quod fortitudo spectat circa mortis pericula, spectant in materia minus difficili. Septem autem numerantur à S. Thoma, magnanimitas, securitas animi, magnificentia, patientia, longanimitas, perseverantia, constantia, quas tamen omnes facilius videmus cum Augustino reuocare ad magnanimitatem, magnificentiam, patientiam, perseverantiam. Cum enim duo sint munera fortitudinis, pati & aggredi; ad aggrediendum requiritur primò promptitudo quædam animi ad suscipiendum periculum, quod præstat magnanimitas: secundò strenuitas in executione, quod facit magnificentia. Ad patiendum requiritur primò ne animus malorum asperitate frangatur, quæ patientia est. Secundò, ne diuturnitate malorum fatiscens cœpta bona abrumpat.

S. I.

Magnanimitas.

Aristoteles 4. Ethic. cap. 3.

Magnanimitatem, fidenciam, & securitatem plurimi distinguunt: ego sub eodem magnanimitatis nomine illas complector, eiusque virtutis cum Philosopho materiam, actus, proprietates, & extrema profero.

Magnanimitatis definitio. Dico primò, magnanimitatem generatim sumptam rectè definiri, virtutem quæ ad magna, & heroica opera in omni virtutum genere inclinatur.

A Ratio est, quia magnus animus dicitur qui adspirat ad magna, eaque sola æstimat & cogitat, quæ verò sunt parua, negligit; is enim, inquit Philosophus, est magnanimus, qui dignus est magnis, & is dignum se esse censet. Atqui nihil in rebus humanis est magnum præter virtutes, quæ tamen etiam aliæ sunt aliis potiores: ergo ille propriè magnanimus est, qui ad magna inclinatur virtutum opera, modò tamen mortis non sint pericula, quæ obiectum sunt veræ fortitudinis. Neque tamen hæc virtus omnes est amplexa virtutes, tametsi earum ferè omnium sectetur materiam; non enim ex proprio illarum motu spectat huiusmodi obiecta, sed cum habeat pro materia res magnas, idest maximè ardua opera virtutum, sub speciali quodam motu illa respicit.

B Addit Philosophus cap. 3. proprium magnanimi viri esse, quod in quaque virtute magnum est. Et infra docet magnanimitatem esse quoddam virtutum omnium ornamentum; nam & maiores eas, amplioresque facit, & sine illis constare nullo modo potest; imò & sine illa nullas omnino constare posse virtutes, earumque conatus omnes irritos esse docet Nazianzenus orat. 26. Magnanimitas ergo respicit omnes virtutum actus appetendo in eis magnitudinem quandam & excellentiam. Circa eisdem actus eximios versatur fidenciam, quæ sperat se posse vincere periculum, & bonum consequi, licet eximium & difficile. Securitas etiam adheret magnanimitati: proprium eius est excludere timorem & anxietatem, animumque confirmare aduersus anxias curas.

C Dico secundò, magnanimitatem specialem rectè definiri ab Aristotele cap. 3. *Est mediocritas circa honores magnos.* Adeo ut quemadmodum fortitudo moderatur timorem & audaciam in periculis mortis; sic magnanimitas specialis moderetur timorem & audaciam in periculis contemptus: ne videlicet desistat à magnis actibus virtutum ex timore dedecoris, nec aggrediatur ex appetitu honoris. Ita expressè Philosophus eo loco, consentiuntque Valques 1. p. disp. 235. cap. 4. Sepulveda lib. 3. de honestate disciplina militari, Flaminius Nobilius lib. de felicitate, cap. 9. Marinus, & plures alij.

D Ratio est, quia proprium magnanimitatis est animum perficere circa res magnas, adeo ut erga eas rectè se habeat. Hæc enim specialis quædam honestas est per se appetibilis. Honor, præsertim magnus, præcipuum & primum hominis bonum est: ergo proprium est magnanimitatis perficere animum erga maximos honores, ita ut iuxta rationis præscriptum illos dispiciat & appetat. Magni videlicet honores & ignominia propria sunt materia magnanimitatis.

E Colliges virtutem illam, quam innominatam appellat Philosophus, dicitque mediocritatem esse circa honores paruos, non esse aliam quam Christianam humilitatem, quando heroica humilitas, & versatur circa magnos honores aut ignominias, tunc esse propriam virtutem magnanimitatis; facit enim ut moderatè versetur animum circa honores magnos, inclinando eum ad eximia virtutum opera, contempto dedecore, & appetitu honoris represso.

Dices humilitatem esse partem potentialem temperantia, cuius proprium est moderari affectus appetitus concupiscibilis, cuiusmodi est appetitus honoris.

Respondeo moderatum honoris appetitum, qui dicitur humilitas, spectare posse tum ad temperantiam,

tiam, tum ad fortitudinem. Ad temperantiam pertinet, quatenus absolute moderatur appetitum honoris & laudis. Ad fortitudinem autem spectat & est vera magnanimitas, quatenus præparat animum ad tolerandam ignominiam & earendum honore ex honestate quæ reperitur in superanda illa difficultate; quæ maxima est; nam hæc est honestas quædam eximia, quam non continet alia vlla virtus, sed est affinis fortitudini, nempe victoria summæ difficultatis in subeunda ignominia virtutis causâ, & contemnendis magnis honoribus, quatenus ad excellentes virtutum actus eliciendos pati non refugit ignominiam, & in eis exercendis timet studium honoris. Vno verbo humilitas heroica est vera magnanimitas.

Dico tertio, actus & proprietates viri magnanimi enumerari has à Philosopho.

Magnanimus quis.

Primo magnanimus dicitur is, qui magnis est dignus, & magnis dignum se esse censet; qui namque non pro dignitate hoc facit, stolidus; qui autem in parvis dignus est, & hisce dignum se esse censet, is modestus est, non magnanimus. Secundo magnanimus cum optimis & maximis sit dignus, debet etiam esse optimus; melior enim maiora semper meretur, & optimus maxima. Eum ergo, qui verè magni est animi, bonum esse oportet, atque magnanimi videbitur id esse, quod est in vnaqueque virtute magnum. Tertio magnanimus aggressus pericula, nunquam fugam ob timorem arripit, neque iniuriam vlli facit, quia is nullius rei gratia potest agere turpia, cui nihil est magnum. Quarto magnanimitas ornamentum videtur esse virtutum, quia maiores efficit ipsas; idè difficile esse magnanimum, non enim esse potest si non omnis probitas addit. Quarto modicè honoribus etiam magnis delectatur, & oblatos à vulgo propter res parvas contemnit. Quinto in parvis & magnis rebus moderatum se præbet. Sexto non offert se casibus periculorum ipsorum gratia, nec amat pericula, quia paucas res magnificat; sed magnis tamen vltro se exponit, quando de rebus præclaris agitur, & tunc vitæ non parit. Septimo acceptum beneficium maiore compensat beneficio, unde fit ut non valde meminerit beneficiorum acceptorum, quia maioribus illa obruit beneficiis. Octavo solet libenter inferuire alteri; neminem aut vix quemquam rogare. Nono cunctari & quietem agere, nisi magna res sit proposita, quia parua non meretur; unde fit, ut pauca faciat, sed magna. Decimo apertè amat, & apertè odit; quia timentis est fraude occultare sententiam. Imò apertè omnia dicit; amat enim orationis libertatem. Undecimo dissimulatione in vulgus vitur; non enim sua patefacit omnibus, sed regit, quia non vult laudes vulgi. Duodecimo non potest alterius nutu vivere, nisi amici; id enim esse servile, nec sine assentatione fieri potest. Decimotertio non facile admirari, nihil enim ei videtur magnum in rebus humanis. Decimoquarto, non meminisse iniuriarum; vici enim magnanimi non est memorem esse iniuriarum, & malorum, sed ea potius nihili facere. Decimoquinto nec aliorum laudator est, nec maledictus. Decimosexto non vehementer contendit, quia nihil ei videtur magnum. Vide alia plura, quæ sine dubio conveniunt magnanimitati generatim sumptæ, magis quàm magnanimitati speciali, quam vocant heroicam humilitatem.

Opposita magnanimitati vitia.

Dico quarto, magnanimitati per defectum opponi pusillanimitatem; per excessum opponi superbiam & arrogantiam.

Pusillanimitas vitium est, quo quis apprehendit

R. P. de Rhodes curf. Philosoph.

A omnia tanquam nimis magna, & suam facultatem excedentia; unde fit ut suis viribus minùs diffidens, ea refugiat ad quæ idoneus est.

Superbia etiam opponitur magnanimitati, quatenus est heroica humilitas, & est parata subire ignominias magnas, propter magnos virtutum actus, quos etiam elicit sine appetitu honoris; sicut fortitudo parata est subire mortem. Vitium excedens inordinate subit ignominias, & honores appetit in actibus virtutum, aut vitiorum; vitium deficiens inordinate vtrumque refugit: sed de humilitate & superbia dicitur postea plenius.

S. II.

Magnificencia.

Aristot. 4. Ethic. cap. 1. & 2.

R Ecè observat S. Thomas quæst. 134. magnificentia nomen dupliciter sumi posse. Primo in genere pro quavis virtute, quæ facit res magnas, & sic non est virtus specialis: secundo pro virtute aliqua speciali, cuius obiectum & naturam, actus, officia & extrema inuestigat Philosophus capitibus illis citatis.

Dico primo, magnificentiam esse mediocritatem in dandis, & accipiendis pecuniis ad magnos sumptus faciendos in rebus magnis. Liberalitatem autem esse mediocritatem circa dandas & accipiendas pecunias in parvis sumptibus. Obiectum ergo & materia magnificentia sunt magni sumptus ad res magnas: obiectum liberalitatis sunt parvi sumptus.

Ratio est, quia magnificentia & magnanimitas in eo differunt, quod magnanimitas intendat magnitudinem in actu virtutis ob quam spernit honores magnos, & subit ignominias. Magnificencia verò intendat magnitudinem in opere externo ad hominum usus accommodato, propter quod spernit pecuniam, magnosque facit sumptus, quod est propriè magnificentiam esse.

Magnificencia quid sit.

Vnde constat has virtutes non ad solam reuocari temperantiam, non enim sunt tantum mediocris appetitus pecuniæ; si enim hoc tantum haberent propositum, moderatè appetere pecunias, ad solam possent reuocari temperantiam. At verò magnificentia, proptè intendit magna opera, & propter illa magnos sumptus facit, spectat omnino ad fortitudinem, alioqui frustra duæ ponuntur virtutes, quarum vna versetur circa magnos sumptus, altera circa paruos; sicut non est duplex temperantia, vna circa magnas voluptates, altera circa paruas. Magnificencia ergo spectat difficultatem in sumptibus ad opera ingentia, quæ cum reperiri non possit in aliquibus subiectis, in quibus est liberalitas, bene numeratur ut virtus distincta à magnificentia.

Dico secundo, actum magnificentia primarium esse efficere ut decet res magnas, ad quas magno sumptu opus est.

Actus magnificentia.

Rationem affert Philosophus, quia decens fit per ipsam in magnitudine sumptus; decens autem est & ad ipsum sumptum, & in quo, & circa quæ fit. Deinde ad illum ipsum finem affectum pecuniæ moderatur, ne non audeat magnum opus suscipere, vel ne deferat susceptum.

Proprietates autem viri magnanimi eleganter enumerat. Primo, inquit, magnificus scienti similis est, idest scit circa materiam suam inuenire, quod decet: nam decorum ipsum contemplari potest, & magnos sumptus facere concinnè.

Viri magnanimi proprietates.

C C c

Secundo

Secundò sumptus magnifici magni sunt & decentes; talia autem & opera, ut sumptu quidem opus, opere verò dignus sit sumptus, vel etiam exsuperet. Tertiò cum voluptate & sine parsimonia erogatur; exacta enim ratio ad parsimoniam magis pertinet, atque potius quoniam pacto pulcherrimum, maximeque decens fuerit ipsum opus, considerabit, quam quanti constiterit; & quoniam modo confectum, quam per minimos fuerit sumptus. Quartò ab æquali sumptu facit magnificus rem magis præclaram, quam liberalis; quia vir magnificus quocunque sumptu facit opus præclarum quam liberalis. Quintò in iis magnis operibus sumptus facit, quæ diuturno tempore persistere possunt; hæc enim sunt maxime pulchra, & in singulis decorum ipsum servat.

Actus principalis liberalitatis.

Dico tertiò, actum principalem liberalitatis esse dare pecunias honestatis causâ, & rectè; id est quibus, quando, quantum oportet, & cum voluptate. Secundarium autem, & minus præcipuum eius actum esse capere cum mediocritate.

Probat à Philosopho multis rationibus. Prima est, quia ipsius virtutis est beneficia potius conferre, quam suscipere; & honesta potius agere, quam non agere turpia. Deinde gratia sequitur eum qui dat, non eum qui recipit; & laus etiam magis. Tertiò facilius est non accipere, quam dare; homines enim multò magis sua erogant, quam non accipiunt aliena. Quartò ij, qui dant, liberales dicuntur; qui non accipiunt, laudantur ob iustitiam, non ob liberalitatem. Quintò liberales homines maxime omnium ferè hominum studiosorum amantur; profunt enim: at id consistit in dando.

Liberalis proprium.

Proprietates viri liberalis enumerantur cap. 1. Non est propensus ad postulandum, facile namque beneficia suscipere, non est hominis beneficia conferentis. Secundò neque sua negligit, sed unde oportet, accipiet ex propriis rebus; quia id est necessarium, ut donare possit. Tertiò non quibuscvis dabit; ut quibus oportet, & quando, & ubi honestum est, donare possit. Quartò attinet etiam ad liberalem ut in dando adeo exsuperet, ut sibi pauciora relinquat; est enim liberalis ad seipsum non respicere. Quintò liberalitas non in multitudine rerum, quæ dantur; sed in habitudinis consistit. Vide cetera.

Oppositum magnificentie vitium.

Dico quartò, vitium magnificentie oppositum per excessum esse indecoram quandam diligentiam in sumptu faciendo; *Barbaria* Philosophus appellat; per defectum esse pusillitatem, seu parvi scientiam.

Is qui exsuperat, primò in parvis rebus multa consumit & splendo rem inconcinne captat; omnia enim non honestatis, sed ostentationis divitiarum causâ facit, & ut propterea sit admirationi. Deinde ubi multos facere oportet sumptus, parvos facit, & contrà. Tertiò pusillus in decoro circa universa deficit, & maximis factis sumptibus, in parvo perdit decorum. Quartò quicquid facit, tardè, differendo que facit, consideratque quoniam pacto, quam minimos sumptus faciat, & etiam conqueritur, cunctaque maiora quam oportet, se facere putat. Quintò hi duo habitus vitiosi quidem sunt, non tamen afferunt probra, propterea quod neque detrimento sunt aliis, neque nimium sunt deformes.

Prodigalitas, & avaritia, vitia liberalitati opposita.

Dico quintò, vitium liberalitati oppositum per excessum esse prodigalitatem, per defectum esse avaritiam.

Prodigalitas vitium est in dando, & in non ac-

apiendo exsuperans. Avaritia superat in accipiendo, deficit in dando. Prodigum proprium est primò, quod multò sit melior quam avarus, quia facilius corrigi potest ab egestate & ab ætate; & quia habet ea quæ sunt hominis liberalis; dat enim, & non accipit: quod si assuescat ad rectè faciendum, euadet utique liberalis. Quapropter videtur non esse moribus pravius; non est enim improbi, nec ingenerosi, tam in dando, quam in non capiendo exsuperare; stolidi tamen est. Deinde ille minus est malus, qui pluribus prodest: prodigus pluribus prodest, quam avarus, qui nemini, ne sibi quidem ipsi prodest. Secundò plerique prodigorum avari etiam sunt, simul capiendo, & prodigè dando; quia cum facultates ipsis decuant, ex alienis dare coguntur. Tertiò ipsorum dationes non sunt honestæ, nec ut oportet efficiuntur; sed interdum locupletes eos efficiunt, qui pauperes esse deberent. Quartò plerique prodigorum sunt imtemperantes; nam cum facile erogent, proni sunt ad sumptus in flagitiis faciendos; atque quia non ad honestatem vivunt, ad voluptates declinant. Quintò prodigus adhibita cura & diligentia devenit ad medium; avaritia verò est incurabilis, quia senectus & imbecillitas omnis avaros efficere videtur. Deinde, quia hominibus magis est insita, quam prodigalitas.

Condemnationem avaritiæ habent omnes & sacri & prophani codices. *Avaro nihil est salutius*, inquit Ecclesiasticus cap. 10. quia nullum est peccatum, quod non suadeat, & ad quod non inducat avaritia: unde additur; *Hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intimam suam*. Et Apostolus 1. ad Timotheum, cap. 6. monet eos qui volunt divites fieri, incidere in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria multa inutilia & nociva, &c. Unde Gregorius lib. 31. moralium, cap. 31. septem numerat filias avaritiæ, quia scilicet homo avarus ut divitias acquirat, incidit in huiusmodi peccata. Sunt enim proditio, fraus, fallacia, peritiam, inquietudo, violentia, & obduratio cordis contra misericordiam. Rationem dabit S. Thomas 2. 2. quæst. 119. art. 1.

Avaritiam appellat Philosophus *animositas*, quia res turpis, illibera, & homine maxime indigna. Et Tullius ait nihil esse tam angustum, tamque parvi animi, quam amare pecuniam.

S. III.

Patientia, & perseverantia.

Ignota Philosopho fuit virtus patientiæ, quæ propriè christiana est virtus, vel certe virtus est ipsa fortitudinis, ut patebit ex dicendis de illius natura, obiecto, actibus, proprietatibus, gradibus, & vitiis oppositis.

Dico primò, patientiam, proptè virtus est specialis, rectè definiri, *Virtutem qua confirmat animum adversus tristitiam, ne ab illius oppressu à se prescripto rationis recedat, aut indecori aliquid agat*. Eodem recidit altera illa patientiæ definitio, quam ex Tullio refert Augustinus lib. 83. quæstionum, quæst. 31. *Patientia est bonitas aut utilitatis causâ rerum arduarum ac difficilium perpassio*.

Primò dixi, patientiam proptè specialis est virtus, sumitur enim patientia primò vniuersim pro virtute, quæ firmat animum adversus quoslibet dolores &

Quæst. I. Sect. II. Virtutes fortitudinis. 579

& timores, etiam mortis, & eorum etiam, quæ mortem inferunt; & sic patientia idem est ac fortitudo, quæ moderatur timores mortis, & eorum quæ inferunt mortem: secundò speciatim sumitur pro virtute, quæ moderatur tristitias ortas ex aliis malis, quæ distinguuntur ab ipsa morte, qualia sunt paupertas, infamia, mors parentum & amicorum. Et hæc propriè dicta patientia, de qua loquor.

Secundò dixi patientiam esse virtutem, quæ confirmat animum aduersus tristitias. Triplex videlicet est materia, seu obiectum circa quod patientia versatur per actum suum. Prima est materia proxima, meriores nimirum, qui solent oriri ex infamia, egestate, inimicis & ceteris infortuniis; hos enim meriores patientia moderatur, & ad normam rationis reducit. Altera est materia remota, ut sunt externi actus, & verba, quæ ita moderatur, ut nihil fiat contra rationis præscriptum. Tertia, inquit Lessius, est materia remotissima, illa videlicet mala, quæ sunt causa tristitiæ internæ. Proprium itaque patientiæ munus est sic temperare tristitiam ortam ex præsentibus malis, ut vel illam omnino comprimant, vel illam moderetur sicuti recta ratio præscribit, ad eam ut actiones, verba, & externi gestus nihil indecori habeant.

Tertiò dixi, patientiam sic moderari tristitias, ut rectam semper rationem atendant, id est propriam respiciant honestatem. Possum enim dupliciter ferre patientem mala, seu dolorem animi temperare. Primò intuitu honestatis, quæ in ipsa inest tolerantia, & hæc est propria ratio formalis patientiæ virtutis specialis. Secundò intuitu honestatis alicuius alterius virtutis, quæ impugnat per tristitias præfentes, & sic patientia est omnis virtutis, quælibet enim virtus propriam honestatem sic amat, ut ex vi huius amoris resistat omnibus quæ illam impugnant: quod in sensu patientia definitur ab Augustino lib. de patientia, cap. 2. *Patientia hominis est quæ mala æquo animo toleramus, ne animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora perveniamus.*

Colliges ex his primò, eandem omnino virtutem patientiæ iuxta diversa mala quæ tolerat moderatè ac ut decet, vocari æquanimitem, constantiam, longanimitatem. Si enim tristitia oriatur ex iactura externorum bonorum, tunc patientia illam moderans tristitiam vocatur æquanimitas. Si oriatur ab incommodis corporis, vocatur constantia. Si oriatur molestia ex dilatione rei expectata, vocatur longanimitas. Si ex iniuriis verborum, vocatur propriè patientia.

Colliges secundò, gradus patientiæ istos tres numerari ex parte modi quo mala toleramus. Primus est tolerare sine murmuratione interna: secundus sine querimoniis externis: tertius cum gaudio, sicut Christus, qui ut ait Tertullianus lib. de patientia, discessurus tota saginari voluit voluptate patientiæ.

Colliges tertiò tres esse veluti partes & species patientiæ, propter mala, ut dixi, diversa quæ tolerantur. Prima est in damnis fortunarum: secunda in damnis famæ: tertia in damnis corporis.

Dico secundò, vitia patientiæ opposita esse duo; impatientiam, quæ in dolendo excedit; & insensibilitatem, quæ minus dolet quàm debeat.

Ratio est, quia excessus in dolendo, & defectus rationi contrarij; nam si plus aliquis doleat quàm oportet, aut propter dolorem aliquid mali agat, vituperatur: qui nimium irasci-

tur aut indignatur propter dolorem, meritiò impatiens dicitur, non quòd immediatè ira eliciatur ab impatientia, sed quia impatientia iram imperat; dolorem enim ab aliquo iratum primò sequitur impatientia, deinde ira.

Dico tertiò, patientiæ istas esse veras proprietates: primà quòd sit difficillima: secunda quòd sit maximè necessaria: tertia quòd sit maximè meritoria.

Primò difficultatem patientiæ ostendit repugnantia totius naturæ cum doloribus; nihil enim est quod tantoperè illa exhorreat. Vnde sicut in bonum sensibile toto impetu inclinatur corrupta natura hominum, sic à malo sensibili toto conatu fugit. Vnde laudantur viri patientes, quia superant communem naturam hominum, prærius & honoribus afficiuntur; hoc est enim heroem esse.

Secundò necessitatem patientiæ inculcat sæpius Scriptura. *Patientia vobis necessaria est*, inquit Apostolus: *in patientia vestra possidebitis animas vestras*, inquit ipse Christus, id est salutem animæ assequimini. Ratio probat, quia exercitium virtutum non est possibile sine victoria dolorum; nam illi sæpe occurrunt, & virtutis causâ subeundi sunt: ergo neque sine patientia potest obtineri salus.

Tertiò meritum eximium patientiæ suadent imitatio Dei, imitatio Christi, imitatio Sanctorum: quæ tria mirabiliter virgunt Tertullianus & Cyprianus. Quantum patientiæ licet, inquit ille, ut Deum habeat debitorem! Reliqua non persequor, quæ dabunt illi & alij Patres, ac Theologi. Vide Lessium & Theophilum.

Dico quartò, perseverantiam, propterea specialis est virtus, rectè definitur, *Est virtus animum persiciens, ut non obstante radio & molestia, quam offerre solet diuturnitas temporis necessarij ad perficiendum opus aliquod bonum difficile, persistat tamen in officio usque ad operis consummationem.*

Dico primò, perseverantiam propterea est virtus specialis; quia perseverantia sumitur tripliciter. Primò pro conseruatione gratiæ sanctificantis usque ad mortem, quæ ut sic non est virtus, sed magnum quoddam Dei donum, & privilegium proprium electorum. Secundò significat propositum continuandi aliquod bonum opus donec illud absoluat; seu quandiu ratio dictabit, ex affectu honestatis peculiaris, quæ in opere illo relucet, ut cum quis servat castitatem usque ad mortem, propter specialem honestatem illius virtutis, & ut sic omnis virtus potest esse perseverantia. Tertiò perseverantia significat propositum illud perstandi in aliquo bono opere usque ad illius consummationem, propter specialem honestatem in eo relucens, quod aliquis immotus in bono persistet; & sic perseverantia specialis est virtus propter specialem honestatem quam respicit, & propter quam immota manet in proposito bono.

Secundò dixi, *ut non obstante radio & molestia*; quia materia huius virtutis est primò tedium & molestia, quæ capitur ex diuturnitate rei laboriose ac difficilis; eam enim vincit & moderatur perseverantia. Deinde materia etiam perseverantiæ opus est bonum cuiuscunque virtutis, propterea continuatum usque in finem, quem ratio præscripsit. Forma enim quam perseverantia inducit in bonum opus, est illius continuatio usque in finem, siue ille sit finis vitæ, siue finis negotij. Actus ergo illius

C C c 2

illius sunt præstantissimi, quibus solis, teste Bernardo, præmiura datur, quod reliquis virtutibus promittitur.

Colliges primò, constantiam vix differre à perseverantia; est enim virtus animum obfirmans, ut perstet in proposito boni operis, quandiu ratio præscribit. Nisi dicere velis, quod perseverantia continuando bonum opus, vincit difficultates quæ oriuntur ex tædio & molestia quam affert temporis diuturnitas: constantia verò continuando vincit difficultates ortas aliunde, v.g. ex arduitate operis, ex impedimentis externis, aut aliis huiusmodi.

Colliges secundo, duo esse vitia perseverantiae ac constantiae opposita; per excessum enim pertinacia illi est opposita, inconstantia verò per defectum. Pertinax dicitur apud Aristotelem 7. *Ethic. cap. 9.* qui firmus manet in proposito, siue sentiendi, siue agendi ubi non oportet, vel plusquam oportet. Mollis verò & inconstans appellatur, qui ob difficultates occurrentes, & maxime ob tristitias, ac privationem delectationum desistit ab opere bono, ceditque difficultatibus. Quamquam etiam molles à Philosopho appellari constet eos, qui nimium sunt appetentes delectationum & iocis etiam ac ludis dediti.

QVÆSTIO II.

De temperantia.

EXimium virtutis temperantiae decus est, à cuius exercitio, ut recte notat Ambrosius, mundum inchoare Deus voluit, relicturus paradisum homini, si temperantiam amasset. Vnde nec immerito Clemens Alexandrinus *lib. 2. Stromatum, c. 11.* ait hominem temperantiā simillimum Deo fieri. Explicat eam Philosophus *cap. 10. ad finem libri 3. Ethic.* cuius insitens vestigiis, primū expono naturam temperantiae generatim, deinde partes eius subiectivas, postremo partes potentiales.

SECTIO I.

De natura temperantiae generatim.

Arist. 3. *Ethic. cap. 10. 11. & 12.*

TRia proponit Philosophus, obiectum temperantiae, actus, & comparisonem eius cum fortitudine; quæ ut sint perspicua.

Certum est primò, temperantiam esse virtutem aliquam specialem distinctam ab omnibus aliis virtutibus. Ratio est, quia licet temperantia, si sumatur latius, significare possit temperiem quandam & moderationem, quam humanis actionibus ratio imponit, sitque hoc pacto aliquid commune omnibus virtutibus; si tamen magis propriè sumatur, significat virtutem quæ moderatur & refrænat cupiditatem delectationum corporalium, quæ sensu aliquo externo percipiuntur. Et ut sic distinguitur ab aliis omnibus virtutibus, cum habeat diuersum obiectum & diuersum munus; nulla enim alia virtus versatur circa delectabilia sensuum. Et est vera virtus, cum obiectum eius formale sit conformitas cum recta ratione; regula enim quam sequitur in assumendis, repudiandisque rebus delectabilibus, non est alia, quam necessitas vitæ præsentis.

Certum est secundo, temperantiam rectè defi-

Temperantia virtus est.

Temperantia definitio.

niri, *Est mediocritas circa voluptates*; idest, virtus moderatrix earum passionum appetitus concupiscibilis, quæ versantur circa delectabilia corporis, secundum sensum præsertim gustus in visu cibi & potus, & secundum sensum tactus in usu venereorum. Quia nimirum sicut fortitudo mediocritas est timoris & fiducia circa terribilia; sic temperantia mediocritas est passionum omnium appetitus concupiscibilis; amoris videlicet, cupiditatis & delectationis circa delectabilia. Quod ut firmius manifestius, proponam obiectum proprium temperantiae, actus eius, partes integrales, & vitia opposita.

S. 1.

Quodnam sit obiectum proprium temperantiae.

Aristot. *cap. 10.*

Dico primò, obiectum materiale temperantiae strictè sumptæ aliud esse remotum, aliud proximum. Remotum sunt ea obiecta delectabilia, quæ per gustum & tactum possunt allicere appetitum, nimirum esculenta, poculenta, & venerea: proximum autem sunt delectationes gustus & tactus: tristitia quoque orta ex earum absentia sunt etiam obiectum materiale temperantiae, sed minus præcipuum.

Probat totam assertionem eleganter Philosophus toto illo capite, ubi primò docet alias esse voluptates animi, alias corporis. Voluptates animi eæ sunt, quæ sequuntur operationem intellectus aut sensus interni, non autem operationem vilius externi sensus; nam in illis nihil corpus, sed sola mens patitur: huiusmodi sunt delectationes omnes quæ percipiuntur ex contemplatione veritatis, studiofitate, honoribus, fabularum narratione. Nam tam ambitiosus, inquit, quam avidus disciplinæ gaudet eo, cuius est avidus: voluptates autem eæ non sunt materia temperantiae; qui enim capiuntur iis voluptatibus, neque intemperantes dicuntur, neque temperantes. Eos verò qui fabulis aut narrationibus delectantur, & circa talia dies consumunt, verbosos atque deliros dicimus; intemperantes autem non solemus vocare, nec eos etiam, qui pecuniarum vel amicorum causâ dolent. Voluptates corporis eæ sunt, quæ capiuntur per externos sensus, idest in quibus obiectum delectationis appetitus est aliqua sensatio externa; ut cum gaudet appetitus, gaudet de gustatione allicuius cibi. Circa solas igitur voluptates corporis versatur temperantia virtus, quia si soli temperantes dicuntur, qui eas moderatè adhibent pro ratione præscribit; si soli intemperantes, qui eas persequuntur contra dictamen rationis.

Deinde ait, temperantiam non versari circa voluptates quaslibet corporeas; probatque, quia voluptates corporis alia sunt in visu, alia in auditu, &c. Sed qui rebus iis gaudent, quæ visu percipiuntur, ut coloribus, picturis, figuris, nec temperantes, nec intemperantes dicuntur, quamvis in iis feruari possit mediocritas, & excessus etiam esse possit, ac defectus. Similiter eos qui gaudent iis quæ auditu percipiuntur, nemo vocat intemperantes; qui verò delectantur odoribus, per accidens tantum possunt tales appellari: non enim eos qui malorum, aut rosarum, aut vaporum; sed potius eos qui vinguentorum aut epularum odoribus delectantur, intemperantes dicimus esse: ergo non omnes voluptates corporeæ sunt obiecta temperantiae. Id quod præterea ostenditur, quia temperantia circa eas solas voluptates versatur, quæ sunt homini communes.

Ob
for
tem
tiz.